



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Irregularitas ex homicidio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

69 Religiosi egredientes claustrum ad audiendas leges vel medicinam, nisi redierint intra duos menses irregularitatem videntur contrahere, *cap. super specula. lb. n. 17.*

Sunt qui multas alias admittant irregularitates, sed gratis eas contingunt, cum aliæ in iure sufficienter non exprimantur. *Ibidem §. unico, per totum.*

*Irregularitas ex homicidio.*

70 Intentio occidendi vel mutilandi, non inducit irregularitatem, sed requiritur actualis occisio vel mutilatio hominis, & ut occidens, vel mutilans sit baptizatus & doli capax, quandoquidem actus inducens irregularitatem sit actus humanus. *Ibid. quest. 4 punct. 1. n. 1. & 2.*

71. Clericus, aut alius iuste mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium secuto effectu, sit irregularis defectu lenitatis, quæ impedit ordines suscipere, & susceptos exercere Et non solum qui occidit, vel mutilat, est irregularis ex defectu lenitatis, sed etiam mortem accelerans, aut causam propinquam mortis dans dicto vel facto. Item iudex inferior Summo Pontifice ferens sententiam mortis vel mutilationis, ejusque assessores, cooperatores, satellites, &c. Notarius scribens vel legens sententiam, consultores in casu aliquo particulari in causa sanguinis, comitantes reum ad supplicium causa securitatis; item qui dicit reo, *ascende scalam, vel suppone caput ad excipiendum iectum*, si ob ipso dicta reus ceteris mutilatur. Similiter est irregularis, qui actu pugnantibus præbet gladium ad aliquem particularem occidendum, aut qui tradit ligna, quibus hæreticus vivus comburatur: secus dicendum de deferente crimen ad iudicem, aut campanis simpliciter signum dante; aut de fabris ferrariis, vel aliis armorum fabricatoribus, constantibus aut vendentibus gladios ad usus humanos in genere; aut de clericis assistentibus executioni sententiæ; non enim dicuntur ad illum cooperari. Similiter excusatur ab irregularitate, qui orationem deficit litteras quibus mandatur aliquem occidi, vel mutilari. *Ibid. num. 3. & seq.*

72. Ille qui clamavit adesse latrones, sit irregularis, quando suo clamore prævidit fore ut alii accurrerent, illosque occiderent, censetur enim causa mortis. Item qui satellitibus directe, vel indirecte iudicando reum, fuit causa cui reus cap-

caperetur, incurrit notam irregularitatis secuta mutilatione vel morte; secus dicendum de eo qui aliquem ostendit non sciens ipsum quæri ad mortem. *ibid. nu. 18. 19. & 20.*

73. Clericus qui rogat Principem ut justitiam faciat, ut ut judicet secundum jura, &c. videtur excusandus ab irregularitate; cum hic modus loquendi videatur indifferens. *ibid. n. 21.*

74. Bannitum hostemque Reipubl. publica auctoritate occidens, fit irregularis; exercens quoque officium in criminalibus, ut v. g. condemnans reum ad mortem, vel mutilationem, irregularitatem incurrit; & unam tantummodo, licet plures ad mortem condemner. *ibid. n. 22. & seq.*

75. Judex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, non fit irregularis, cum degradando non cooperetur ad mortem. *ibid. num. 27.*

76. Non est irregularis ille qui habens jurisdictionem temporalem, constituit prætores ad causas sanguinis, aut qui mandat alicui ut inquiret de delicto, & justitiam faciat. *ibid. num. 28. & 29.*

77. Prælati quando interrogatur quid sit faciendum in aliqua causa sanguinis, respondere potest hoc modo: facite quod leges statuunt, consulite peritos, &c. imò licitum est Sacerdoti dare consilium Principi, ut legem ferat qua fures plectantur capite; & Confessarius in simili casu potest absque periculo irregularitatis dicere pœnitenti, non te absolvam, nisi facias quod leges præcipiunt, vel nisi punias reum secundum jura: propterea excusandus est Confessarius ab irregularitate, qui pœnitentem juridicè interrogatum hortatur ad confitendam veritatem in judicio, etiam si reus ob confessionem veritatis puniendus sit pœna mortis: hortatur enim ad id ad quod tenetur, & præstat munus suum. *ibid. n. 30. & seq.*

*Irregularitas qua incurritur accusando vel testando.*

78. Accusans alium in causa criminali, incurrit irregularitatem secuta morte, vel mutilatione propter suam accusationem, nisi hoc faciat justè petendo satisfactionem pro injuria sibi vel suis rebus illata, & non petendo vindictam, aut accusando alterum de injuria illata personis extraneis: nam permittitur clericis conqueri solum de malefactoribus suis, non verò de iis qui aliis damna intulerunt, modo si qui damnum